

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Primus De Notitia Dei, Tum Qua Essentiam Et Attributa, Tum Qua
Personas Spectati.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191)

PARS PRIOR

ARTICVLVS PRIMVS

DE

NOTITIA DEI, TVM QVA
ESSENTIAM ET ATTRIBVTA,
TVM QVA PERSONAS
SPECTATI.

§. I.

Notitia
Dei quo-
tuplex?Naturalis
notitia
quid?Superna-
turalis
quid?

Notitia Dei duplex est, *generalis* siue *naturalis*, et *specialis* siue *supernaturalis*. Illa (naturalis) omnium hominum mentibus a Deo insita est naturaliter, et, vt ita loquar, scintillula quædam est, ex lumine concreatæ nobis diuinæ imaginis residua, cuius beneficio homo cognoscit, non posse non esse Deum aliquem, a quo omnia sint, qui omnia moderetur, et quem, tanquam ens æternum, omnipotens et iustum, timeri oporteat. Rom. I, 18. II, 15. Ad quam cognitionem deinceps accedit, vt intellectu naturali, si diligentius inuestiget res creatas, earumque admirandam conseruationem, ordinem et gubernationem pensitet, magis magisque intelligat ac comprehendat, quod sit aliquis Deus, et quid sit, Rom. I, 20. Hæc (supernaturalis) est, quæ per Spiritus sancti illuminationem ex verbo Dei hauritur, in quo sese Deus, speciatim quod ad essentiam et voluntatem suam de-
fa.

salute nostra in Christo Iesu, patefecit, Io. XVII, 3. Matth. XI, 25. 26. 27. Eph. I, 17. Pf. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. Non tantum autem ab illa generali et naturali notitia, ex lumine naturæ oriunda, sed a mere quoque historica et litterali, quæ ex scriptura, etiam ab homine Spiritus sancti operationi locum haud relincente, adeoque ex propriæ rationis viribus acquiri potest, distinguenda est. Ier. VIII, 8. Matth. XV, 14. 1 Tim. I, 7. VI, 3-5. Tit. I, 1. 16. Et, quemadmodum *Vtra notitia salutaris?* illa (*naturalis*) infirmior atque imperfectior est, quam ut æternam salutem nostram possit efficere, 1 Cor. I, 21. Bar. III, 20-23. (tametsi Deus illa, tamquam pædagogia, hanc in rem uti vult, Act. XVII, 27. Matth. II, 2.) ita e contrario in hac (*supernaturali et spiritali*) vita æterna sita est, Io. XVII, 3. *LV-THERVS* Comment. ad Gal. c. IV. Tom. IV. Ienens. lat. fol. 128. a fin. (Tom. VI. Alt. fol. 775. b.) „*Vt fieri potest, ut aliquis mihi notus sit facie, quem tamen vere non novi, quia non intelligo, quæ sit voluntas ipsius erga me. Quare homines naturaliter nouerunt Deum esse, sed quid velit, quid non velit, ignorant.*” Quamobrem ea, quæ de Deo cognoscenda nobis sunt, non tam super naturalem notitiam, quam super reuelatum Dei verbum fundari oportet. Sirac. I, 5. 6. 2 Tim. III, 15-17. 2 Petr. I, 19.

§. II.

Deus
quid ?

Quærentibus autem nobis, quid Deus sit, sacra scriptura responder, esse eum *essentiam spirituales et invisibilem*, per se existentem, aliarumque bonarum rerum omnium originem, causam atque principium; id quod speciatim nominis *Iehoua* ratio postulat. Io. IV, 24. 1 Tim. VI, 16. Ies. XLIII, 10. 11. XLIV, 6. Rom. XI, 36. 1 Cor. VIII, 6. Hinc Deus ab omni eo, quod corporeum est atque ullam compositionem olere potest, longe est remotissimus. Et quamquam sacræ litteræ humana ei membra tribuunt; hæc tamen haud aliter, atque cum essentia eius spirituali consistere possunt, capienda sunt. Quum igitur Deus sit spiritus, oportet, ut spiritu ac veritate eum adoremus, Io. IV, 24. non in corpore tantum, sed in spiritu etiam nostro concelebremus, 1 Cor. VI, 20. et animum nostrum ad spiritualia et invisibilia bona, ad quæ possidenda nos Deus præcipue vocavit, intendamus, Eph. I, 3. Et quum sit omnium rerum principium et finis, homo sibi ipsi nihil boni tribuere, sed omnia ad Deum referre, in ipsoque tanquam unico, summo et vero bono acquiescere, et quidquid ipse non est, contemnere ac pro nihilo putare debet. Ps. LXXIII, 25. 26. 1 Cor. VIII, 5. 6.

Cognitio
spiritualis
essentiæ
Dei ad
quid ad-
hibenda ?

§. III.

De notitia Dei.

5

§. III.

Præcipua attributa, secundum quæ Præcipua Deus vult cognosci, sunt: Aeternitas, im- mutabilitas, omnipotentia, omniscientia, Dei quæ- omniscientia, omnipræsentia, veracitas, nam? sanctitas, iustitia et misericordia.

§. IV.

Aeternitas Deo tributa indicat, quod Aeterni- esse non cæperit, nec desiturus sit, nullaque tas Dei differentia aut vicissitudo temporis in ipsum quid? cadat. Pf. XC, 2. 3. 4. 5. Ies. XLIV, 6. Sirac. XXXIX, 24. 25. 2 Petr. III, 8. *LVTHERVS* in h. l. Tom. V. Witteb. lat. fol. 499. b. (Tom. II. Alt. p. 484.) „Deus non adspicit tempus secundum longum, sed velut transuersum, posittum, quemadmodum si quis prælongam arborem transuerse ante se posittam conspi- ciat, quo certe pacto vtramque extrema- tem vno adspectu comprehendit, quod nequi- ret, si ab vna extremitate stans per longum illam contempleretur.” Hanc in Deo pro- Huius at- prietatem homo Dei, par est, ita honoret, tributi vt in æterno Deo æternam etiam caritatem cognitio ac gratiam ad excitandam et corroborandam quo va- filialem fiduciam credat, 2 Tim. I, 9. Pf. CIII, 17. et oblitus eorum, quæ ad tem- let? pus spectant et cum tempore finiuntur, illa, quæ æterna sunt, confectetur, 2 Cor. IV, 17. 18. Col. III, 1. 2.

§. V.

Cum æternitate Dei quodam modo Per im-

A 3

con-

mutabili-
tatem Dei
quid in-
telligi-
tur?

conuenit *immutabilitas*, per quam intelligitur, quod ipse in se, siue ratione essentiae et attributorum suorum, nulli vicissitudini obnoxius, sed semper *ὁ αὐτός*, *unus et idem* est, Ps. CII, 26-28. Iac. I, 17. Mal. III, 6. *Sicut erat in principio et nunc et semper*. Vid. Hebr. XIII, 8. Adhuc æque potens, sapiens, iustus, sanctus, benignus, verax, fidelis et perfectus est, atque fuit ab omni æternitate et pristinis temporibus, idemque futurus est perpetuo. Ies. XL, 28. LIX, 1.

Huius at-
tributi
cognitio
quo va-
let?

buti cognitio eo valet, ut ex omnibus beneficiis, iudiciis, miraculis, et viis, quibus Deus nomen suum testatum et illustre fecit, animum nostrum in omnibus necessitatibus et difficultatibus tanto melius confirmemus, ab eoque auxilium, præsidium et liberationem speremus et nobis polliceamur, Ps. XLIV, 2-6. Efficit quoque stabilem et immutabilem fidelitatem in Deum et homines alios, Apoc. II, 10. Matth. V, 37. nostrasque mentes a rerum mutabilium fiducia atque amore auocare, contra vero ad sincerum amorem ac fiduciam in Deum immutabilem flectere efficaciter potest, 1 Io. II, 15, 17. Matth. VI, 19, 20. Ps. CXLVI, 3-6.

§. VI.

Omnipo-
tentia Dei
quid de-
notat?

Omnipotentia Dei ex immensa ac spiritali essentia eius fluit, eamque denotat facultatem, qua Deus omnia facere potest, quæ vult, sine vlla exceptione, Ps. CXV, 3.

Luc.

Luc. I, 37. Eph. III, 20. *LUTHERVS* in Deuter. VIII. Tom. III. Witteb. lat. fol. 44. b. (Tom. V. Alt. fol. 1063. b.) „*Omnia ex omnibus, omnia in omnia, omnia ex nihilo, omnia in nihilum potest dare et mutare.*” Cognoscitur maxime ex opere creationis, Vnde conferuationis et reparationis; quo mor- gnosci- tuorum resurrectio et omnia miracula perti- tur? nent. Rom. I, 20. Act. III, 21. Eph. I, 19. 20. Io. X, 38. Fides hominis si cum ista omni- Quam potentia se coniungit, omnia ei fieri possunt. hinc uili- Marc. IX, 23. XI, 22-24. et quidquid Deus tatem ca- postulat et præcipit, verbo eius freta alacri- pit fides? ter adgredi, et in omni necessitate opem et auxilium illius promittere sibi potest. Ios. I, 5-9. Ps. LXXIII, 30-43. XXVII, 3. LXXXVII, 11. In animo hominis si testata sit et manifesta, iram, quam Deus in lege sua minatur, me- ruit. Orat. Manass. com. 1 5. Matth. X, 28. neque vero de implendis promissionibus euangelii dubitat diffidentia. Rom. IV, 17-21. Hebr. XI, 17-19.

§. VII.

Omniscientia Dei res præteritas, præ- Omnisci- fentes et futuras omnes, cogitationes etiam entia Dei et adfectiones animi occultissimas, penitus quomodo perspectas planeque cognitatas habet. Ps. se habet? CXXXIX, 1-4. I. I. 12. 15. 16. Ies. XLI, 21-29. In quo se- Deus secundum hanc proprietatem in con- cundum scientia hominum etiam irrogenitorum sese hanc pro- paret facit, Rom. II, 15. dilectis autem suis prietatem Deus se eam patefecit?

eam declarat, testando per spiritum prophetiæ, 2 Sam. VII, 19. Apoc. I, 1. XIX, 10. exaudiendo preces eorum, et explendo retrusa et abdita animi desideria, Ps. XXXIV, 16. XXXVIII, 10. Gen. XXIV, 45. Dan. II, 22. IX, 23. Act. X, 4. Clarissime autem omnibus et singulis sese patefactura est in die extremi iudicii, Ecclef. XII, 14. Rom. II, 16. 1 Cor. IV, 5. Apoc. XX, 12. Quisquis eam vere credit, ab omnibus, clandestinis etiam, peccatis, prauis cogitationibus, dolo et simulatione sibi cavet, Sirac. XXIII, 26. 27. 28. Ier. XVII, 10. Iob. XXXIV, 21. 22. animum suum Deo probandum et explorandum offert, Ps. CXXXIX, 23. 24. omnesque inutiles curas in inopia et egestate, quæ animum obruere cupiunt, abiicit, Matth. VI, 8. 18.

§. VIII.

Omnifapientia eiusmodi proprietatem in Deo est, secundum quam omnia intelligit, bene gubernat et ordinat, consiliumque suum ad certum et gloriosum exitum perducit, Iob. XII, 13. 14. Ies. XL, 13. 14. Rom. XVI, 27. Ies. XXII, 29. Dan. II, 20. 21. Cognoscitur maxime ex opere creationis et conseruationis, Ps. CIV. Iob. XXXIII. XXXIX. Ier. X, 12. redemptionis generis humani et gubernationis ecclesiæ suæ. Eph. III, 10. Rom. XI, 33. 34. Quisquis ad eam animum attendit, is in peculiari vitæ suæ ratione eam sentit, Pf. nem illius

Pf.

Pf. IV, 4. LXXIII, 24. Rom. VIII, 28. Gen. ad quid
 L, 20. Qui vere eam credit, stultitiam adhibet
 suam agnoscit, Sirac. LI, 27. a Deo in omni- homo fi-
 bus ipsius viis sapientiam petit, I Reg. III, delis?
 7-9. Sap. IX, 9. Iac. I, 5. III, 17. nec quid-
 quam ei praescribit, sed se suasque actiones
 omnes Domino et sanctae eius providentiae
 committit, Pf. XXXVII, 5. I Petr. V, 7.

§. IX.

Omnipraesentia Dei facit, ut ipse, tan- *Omnipraesentia*
 quam spiritus immensus, secundum essen- *praesentia*
 tiam suam omnibus in locis vere et efficaci- *Dei quid?*
 ter praesto, nusquam absens, nec vero vs-
 quam inclusus sit, Pf. CXXXIX, 7-10. Act.
 XVII, 27. 28. vid. etiam Ies. VI, 1. LXVI, 1.
 Quum igitur hoc sciamus, hoc ipso excitari *Ad quid*
 debemus, ut semper sic, tanquam illo spe- *ea nos ex-*
 ctante, vitam agamus, Gen. XVII, 1. pecca- *citare de-*
 tum fugiamus, Ier. XXIII, 23. 24. et ubi- *bet?*
 que locorum de auxilio et praesidio diuino
 bona quaeque nobis persuadeamus et polli-
 ceamur. Ies. XLV, 1. 2. Pf. XXIII, 4.

§. X.

Veracitas Dei est, quod promissiones *Veracitas*
 et comminationes suas iusto tempore certe *Dei quid?*
 et efficaciter implet, I Sam. XV, 29. Pf.
 XXXIII, 4. 2 Cor. I, 20. Hebr. VI, 17. 18.
 Ios. XXIII, 14. 15. 16. Rom. XI, 29. Hanc *Cognitio*
 proprietatem filii Dei ita referre debent, ut eius quo
 celestis Patris sui exemplo omne mendacium *valet?*
 ex animo detestentur, veritati autem stu-

A 5 deant,

deant, Eph. IV, 25. Iac. V, 12. promissionibus diuinis plena fide adhæreant, comminationesque filiali animo metuant, 2 Sam. VII, 28. Luc. I, 45. Rom. IV, 20. Hebr. XI, 11. Deut. XXIX, 19.

§. XI.

Sanctitas
Dei quid?

Sanctitas Dei attributum est, secundum quod ipse nobis proponitur vt essentia, res creatas vniuersas, visibiles et inuisibiles, sublimitate, excellentia et maiestate quam longissime superans, atque adeo ab omni idea rei creatæ infinite separata, vtpote lumen habitans inaccessum, in se ipso autem et essentia sua perfectissime beata, bona, pura, et omni peccato vacua, quæ nihil quoque, nisi quod bonum est ac vitio caret, operari potest. Ies. VI, 3. Pl. XXII, 4. XCII, 16. Iob. XV, 15. 1 Tim. VI, 16. Matth. XIX, 17.

Quomodo illa se
prodit?

1 Io. I, 5. Iac. I, 13. Attributum hoc in vniuscuiusque hominis conscientia quodam modo se prodit, Rom. II, 15. multo autem clarius ex verbo diuino, lege pariter, Deut. IV, 8. Rom. VII, 7. 12. atque euangelio, Tit. II, 10-12. 14. elucet. Omnium autem clarissime apparuit in Christo Iesu, substantiali Patris imagine, quippe qui sine peccato fuit, nec per vmbra (vti pontifex veteris testamenti Exod. XXXIX, 30.) sed vere קדש ליהוה sanctitatem Iehouæ in fronte sua gestauit, 1 Io. III, 5. Hebr. VII, 26-28. et ideo patefactus est, vt peccata nostra tolleret,

leret, Hebr. IX, 28. Io. I, 29. atque amissam
 Dei imaginem in sanctitate et iustitia instau-
 rarer, 2 Cor. III, 18. Huius attributi cog- Cognitio
 nitio in mentibus fidelium id efficit, vt non illius
 nisi cum summa admiratione et reuerentia quid effi-
 tam sanctum numen colant atque adorent, cit?
 Ies. VI, 2. Apoc. IV, 8. 10. eaque propter ab
 omni et corporis et animi labe se ipsos pur-
 gare, contra ea sanctam et a moribus huius
 sæculi alienam vitam in conspectu Dei et
 hominum agere studeant, 1 Io. III, 3. 2 Cor.
 VII, 1. 2. 1 Petr. I, 15. 17. Leuit. XI, 44. 45.
 XIX, 2. Rom. XII, 1. 2.

§. XII.

Iustitia Dei attributum est, secundum Iustitia
 quod in rebus ab se creatis bonum amat et Dei quid?
 præmiis adscit: malum vero omne odit et
 punit, Exod. XX, 5. 6. Hebr. X, 30. 31.
 Hanc perfectionem Deus præcipue in opere Quomo-
 redemptionis, vbi ad tollenda peccata nostra do hanc
 proprio filio non pepercit, demonstrauit, Deus de-
 Ies. LIII, 6. 8. 9. Rom. III, 26. VIII, 32. monstra-
 eiusque testimonium in omnium conscientia vit?
 later, Rom. I, 32. II, 15. Io. III, 20. 21. et
 in specialioribus iudiciis ac præmiis sese pro-
 dit; omnium autem præclarissime cernetur,
 quando Deus in magna illa iudicii die suis
 cuique factis digna soluet, Rom. II, 5. 12.
 2 Thess. I, 6. 7. 2 Cor. V, 10. Gal. VI, 8.
 Cognitio huius attributi instigare nos debet, Cognitio
 vt Deum, dominum nostrum, reuerenter eius ad
 et quid nos

infigare et religiose colamus, Hebr. XII, 28. 29. vid.
debet? Exod. XXIII, 20. 21. iuste etiam nos gera-
mus aduersus alios, Prou. XVII, 15. Leuit.
XIX, 35. 36. et in recti iustique studio di-
uinum præsidium et auxilium, deuotata
omni vindicta propria, speremus et exspecte-
mus, Rom. XII, 19. Pf. CIII, 6. Mich. VI, 9.
LVTHERVS in Pf. VII, com. 12. Tom. III.
Witteb. lat. fol. 197. b. (Tom. II. Alt. fol.
650. b.) „*Vel hoc solum verbum, DEVS*
„IUDEX IUSTVS, potens est, si digne pense-
„tur, humiles consolari et superbos terrere.”

§ XIII.

Bonitas et Bonitas et misericordia Dei attributum
miseri- est, secundum quod Deus caritate, benefi-
cordia centia et miseratione omnes res creatas, spe-
Dei quid? ciatim homines, et inter hos specialissime
pænitentes et credentes complectitur, quip-
pe quibus propter Christum peccata condo-
nat et gratiam concedit, erga quos etiam in
futuris sæculis omnibus immensas gratiæ
sue opes pro beneficentia sua in Christo Iesu
demonstraturus est, 1 Io. IV, 16. Sap. XI, 24.
25. Pf. XXXVI, 6. 7. 8. CXLV, 8. 9. Hof. XI, 8. 9.
Eph. II, 7. *LVTHERVS* in Pf. CXI. Tom. V.
Alteb. fol. 344. b. (Tom. IV. Alt. fol. 603. a.)
„*Nomina DEVS et DOMINVS aliquid in se*
„*habent, quod terret, quia sunt nomina ma-*
„*iestatis, agnomina autem BONVS et MISE-*
„*RICORS plena sunt consolationis ac gaudii;*
„*nec scio, an Deus vspiam in sacris litteris*
„*ama-*”

amabiliore nomine se appellari iubeat. Tu
modo caue, aliud ei nomen tribuas in animo
tuo, nec ipsum finge alium in conscientia
tua, alioquin iniuria ipsum summoque do-
lore adficiet, tibi autem ipsi maximum im-
portabis damnum. Dei proprium et nati-
uum opus est benefacere, irasci autem alie-
num ipsius opus dicitur., Cognitio huius
attributi ad hoc adhibenda a nobis est, ut
in omni necessitate filialem fiduciam in tam
bono ac misericorde Deo collocemus et re-
tineamus, Pf. XXXI, 8. CXXX, 7. preces
in hoc ipso fundemus, Pf. XIII, 6. ad abne-
gandam omnem vitiositatem, contra vero
ad tanto lubentius feruiendum Deo since-
rumque amorem ac beneficentiam aliis ho-
minibus ostendendam excitemur. Rom.
XII, 1. Luc. VI, 36. Matth. V, 44-45.
XIX, 33. I Io. IV, 11.

§. XIV.

Vnus est Deus, cuius autem essentia Num
tribus distinctis personis (seu tribus vere
subsistentibus) gaudet.

vnus tan-
tum
Deus?

§. XV.

Præter hunc triunum Deum non est Annon
Deus alius, quamuis homines multos sibi præter
faciant deos, et Deus ipse nonnullis hoc no- hunc De-
men tribuat, Deut. IV, 35. VI, 4. Ies. XLIV, 6. us alius?
XLV, 5. I Tim. II, 5. Eph. IV, 6. I Cor.
VIII, 4-6. Qui hunc igitur non mere hi- Cognitio
storica fide, vii dæmones; (Iac. II, 19.) sed eius quo
in valet?

in Spiritus sancti lumine cognoscit et credit, ei in hoc ipso magnum solatium est, nihil omnino esse, quod extimescat aut horreat, si hunc vnum verum Deum, qui solus omnia est, sibi propitium habeat. Rom. VIII, 31. Ies. XLIV, 8-11. Talis vero homo cauet, ne amore huius sæculi alienos deos sibi fingat, Phil. III, 19. Eph. V, 5. Col. III, 5. non seruit duobus dominis, Matth. VI, 24. 2 Cor. VI, 14-18. sed vni vero Deo cum timore, amore ac fiducia adhærescit, semetipsum et res creatas omnes abnegans, per simplicitatem, quæ est in Christo Iesu. Exod. XX, 2-5. 2 Cor. XI, 3. Matth. VI, 22. Luc. X, 42.

§. XVI.

Hic Deus
vnus quis
est et quo-
modo vo-
catur?

Hic vnus Deus est et vocatur *Pater*, *Filius* et *Spiritus sanctus*, qui tres proinde non sunt tres dii, sed *tres personæ in vna essentia* diuina. *LUTHERVS* in tria symbola christianæ fidei, Tom. VII. Witteb. lat. fol. 143. b. (Tom. VI. Alt. fol. 1262. a.) „*Id vero quomodo fiat, fide apprehendendum est: nam ipsis angelis inscrutabile est, qui quidem cum perpetua letitia illud spectant.*” vid. Matth. XI, 25. Fundamentum autem hoc maximum et summum sacrosanctæ Trinitatis mysterium habet in *utriusque testamenti libris*, ita tamen, vt argumenta, ex nouo testamento desumpta, ea, quæ ex veteri adferuntur, claritate et perspicuitate superent

ac

ac magis illustrent, quandoquidem Deo optimo maximo placuit noui fœderis temporibus, quæ propterea diei comparantur, pro sapiente sua et speciali œconomia ad miraculorum et mysteriorum sacrorum cognitionem cumulationem lucis et diuinæ claritatis mensuram, quam quidem antiqui fœderis temporibus, vbi quasi nox fuit, impertire, Rom. XIII, 12. XVI, 25. 26. 1 Io. II, 8.

§. XVII.

Ex veteri testamento ad hoc mysterium Ad hoc demonstrandum facit (1) *compendiaria de-* mysteri-
scriptio creationis, Gen. I, 1-3. quippe um de-
quæ in loco iam citato, interprete spiritu mon-
prophetico per Dauidem, Ps. XXXIII, 6. et strandum
apostolico per ipsum Ioannem, Io. I, 1. seqq. quidnam
et Paulum Hébr. I, 2. XI, 3. (a) Deo siue facit ex
DOMINO, (b) VERBO et (c) SPIRITUI veteri te-
stamento?
oris eius, tanquam tribus inuicem distinctis
personis, tribuitur. (2) *Τεσσαρῶν Sera-*
phicum, Ies. VI, 3. in quo vocabulum *sanctus*
ter repetitum non tantum magnitudinem et
excellentiam sanctitatis Dei, sed tres etiam
personas in vna deitate indicat, quemadmo-
dum ex comm. 8. aliquatenus, clarissime au-
tem ex collatione huius cap. VI. et Io. XII,
40. 41. nec non Act. XXVIII, 25. 26. li-
quet; vtpote secundum quæ testimonia *Fi-*
lio et *Spiritui sancto* τὸ *sanctus* fucclamatum
fuit a Seraphim, sicuti de *Patre* nemo infi-
ciatur. Ex eodem trinæ repetitionis fun-
damen-

damen-

damento, quod non humana ratio, sed ipsa sanctorum et Spiritu Dei actorum hominum interpretatio in locis proxime citatis aperuit et confirmavit, hoc mysterium demonstrat (3) *Benedictio Aaronis* et filiorum eius *sacerdotalis* Num. VI, 24. 25. 26. (vid. quoque Psalm. LXVII, 7. 8.) quippe in qua vox יהוה magna cum emphasi ter iteratur, et NOMEN, quod sacerdotes super Israelitis nuncupare debeant, vocatur: quemadmodum in nouo testamento per baptismum nomen *Patris, Filii* et *Spiritus sancti* super Israelitis secundum spiritum nuncupatur, Matth. XXVIII, 19. (4) *Adlocutio Moysi*, ad populum Israeliticum directa, Deut. VI, 4. quæ secundum sermonem hebræum et accentus ita reddenda: *Audi, Israel, (α) Iehoua, (β) Deus noster, (γ) Iehoua, unus (est).* (5) *Sermo Messie*, Ies. VIII, 18. Eum enim heic loqui, ex Hebr. II, 13. liquet. Hic autem est *Iehoua exercituum*, ab ipsis sancte colendus, l. c. com. 13. collat. Luc. II, 34. Rom. IX, 33. 1 Petr. II, 7, cui tamen Iehoua (Pater Io. XVII, 6-9.) filios dedit a *Iehoua exercituum*, Sionem montem incolente, l. c. com. 18. (Spiritu scilicet sancto, ex quo per verbum et baptismum regeneramur. Io. III, 5. Tit. III, 5.) Si hæc argumenta, et ea, quæ §. XVIII. ex nouo testamento peruntur, pro fundamento iacent; certe manifestum est, sacrosanctæ Trinitatis mysterium in omnibus

bus etiam veteris testamenti locis fundatum esse, in quibus Deus nomine pluralis numeri **אלהים** appellatur, vel certæ ipsi proprietates numero plurali (secundum sermonem hebræum) tribuuntur, e. g. Ios. XXIV, 19. Ier. X, 10; vel in quibus Deus ad se ipsum, tamquam alius ad alium, loquens inducitur, vide Gen. I, 26. III, 22. XI, 7. XIX, 24. Exod. XXIII, 20. 21. Ps. CX, 1. Ier. XXIII, 5. 6. Hof. I, 7; vel in quibus Patris tantum, vel Filii, vel Spiritus sancti nomen, respectu habito ad Deum, exprimitur, siquidem istæ appellationes aliæ ad alias respiciunt, et iunctim lectæ atque inter se collatæ, veritatem essentiae divinæ triunius, non minus dilucide demonstrant, e. g. Ies. LXIII, 16. Ps. II, 7. Prov. XXX, 4. Ies. LXI, 1.

§. XVIII.

Ex nouo testamento hoc ipsum mysterium Quid ex demonstrat (1) *manifestatio ad Iordanem* flu- nouo te-
uium, et quidem *Patris* per vocem, *Filii* stamento?
in adsumta humanitate, *Spiritus sancti* in
forma columbæ, Matth. III, 16. 17. (2) *Ver-
ba institutionis sacri baptismatis*, quippe in
quibus expressa omnium trium personarum
mentio fit, Matth. XXVIII, 19. (3) *Promis-
sio Christi*, Io. XIV, 16. 17. utpote in qua
ipse (*Filius Dei*) a *Patre* alium *aduocatum*,
scilicet veritatis spiritum, pollicetur. (4) *Ap-
pellatio trium testium celestium*, qui vnum
sunt.

B

sunt.

Quo pacto fieri potest, ut tres vnum sint?

sunt, 1 Io. V, 7. (5) *Vota apostolica* Pauli, 2 Cor. XIII, 13. et Ioannis, Apoc. I, 4. 5. quæ salutarem vsum et suauissimam consolationem huius veritatis de essentia diuina triuna simul in se continent et aperiunt. Fieri posse, ut tres vnum sint, ratio, vti supra diximus, adsequi nequit, tametsi variis imaginibus et similitudinibus ex natura desumptis id illustrari potest. Fides autem in sacrae scripturae testimoniis simpliciter acquiescit, quippe in quibus Deus ita sese patefecit; et Spiritus est, qui testificatur, spiritum veritatem esse, 1 Io. V, 6.

§. XIX.

Quodnam hac in re nostrum est officium?

Officium nostrum est, (1) Deo optimo maximo submissas gratias agere, quod hoc magnum mysterium in verbo suo nobis reuelarit, quippe quod sine ista reuelatione cognoscere non possemus, Prov. XXX, 4. (2) Ipsum sedulo inuocare, ut ex verbo suo per Spiritum sapientiae et patefactionis in animis etiam nostris sese patefaciat, suamque gratiam, caritatem ac communionem largiendo hoc sacrosanctum mysterium in nobis obsignet, Eph. I, 16. 17. 1 Cor. II, 10. 2 Cor. XIII, 13. (3) Cum hoc triuno et vero Deo sancte et intime per fidem ac caritatem nos coniungere, deuitatis omnibus iis, quæ vlllo modo ab ea nos diuellere ac distrahere possunt. Ps. LXXIII, 25. 26. 1 Io. I, 6. 7. Ies. LIX, 2. (4) Permittere, ut hæc beatif-